



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quòd decorum orationis in hoc est situm, vt oratio sit affecta, & morata.
Cap. XL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

facile est animadvertere, valdè mouet. Hac de varijs dicendi formis, & ornamentis, satis dicta sint. Consequens est, vt reliqua, quæ ad decorum Ecclesiastica orationis pertinent, in medium afferamus.

Quòd decorum orationis in hoc est situm, vt oratio sit affecta, & morata.

Cap. XL.

DECORVM Ecclesiastica orationis in hoc est positum, vt oratio sit affecta, & morata. Affectum, dicimus quasi sanguinè orationis: mores, quasi animam. Erit autem affecta oratio, si Ecclesiasticus orator, inuehens in aliquod vitium, aut in aliquam prauam consuetudinem, neminem vnquam nominauerit, neq; etiam indicauerit; sed dilectione, & amore Dei, se commotum ea dicere ostenderit, suis quamque rem coloribus pinxerit: vt si zelo Dei commotus est, instantibus verbis vtatur, & vocibus, quibus vtuntur irati. eis autem maximè conueniunt ficta nomina, vt Dormitantium appellat beatus Hieronymus hæreticum Vigilantium. Morata autem illa censenda est oratio in Ecclesia Dei, quæ ad probationem vitur argumentis & signis. Quare fit, vt maximam apud omnes vim habere videantur illorum patrum, qui Capucini dicuntur, hortationes ad paupertatem amandam, ad sobrietatem, ad contemptum mundi; cum oratione enim non discrepat vita. Quòd si quis corpore firmo, vultu præ se ferens hilaritatem, mollibus indutus vestimentis, eadem tractet argumenta, multo difficilius persuadebit. Quamobrèm ad moratam orationem, atque ad comparandam auctoritatem in dicendo,

quam

quam fiduciam loquendi, siue potestatem, siue spiritum, siue ostensionem spiritus licebit nominare, hæc necessaria videntur: vt orator Ecclesiasticus, vita sanctimonia ostendat, se à spiritu sancto edoctum, sanctis moribus ornatum, atque in primis ad illud munus dicendi vocatum & missum esse: quomodo enim cum fructu predicare possunt, nisi mittantur? Ionam, Moysen, Esaiam, Hieremiam, Samuelem, antequàm missi essent, ne verbum quidem ausos fuisse proferre legimus: Ioannem, antequàm mitteretur, latuisse; Christum Dominum fuisse à patre missum; sanctos Apostolos, antequàm audissent illa verba; Euntes, docete, silentium seruasse nemo ignorat. Quare ostendet se, aut munere suo, aut iussu episcopi, dicendi munus sumpsisse. Morata autem oratione vtentes, illa figura vtuntur sæpè per interrogationem; vt, Quis hoc ignorat, escam omnium malorum esse voluptatem? hereticos esse superbos? Deum paterno imperio regere hunc mundum? bonis nihil deesse? Habet hæc magnam vim, nè insipientes & stupidi esse videantur, qui audiunt. Verum ad affectam orationem pertinet, interdum grandi, interdum temperato, interdum summisso genere orationis vti; quod fecisse sanctos patres, iam ostendimus, in quorum obseruatione & imitatione non minus, quàm in præceptis rhetorum, decorum consistit.

Quòd in libris sanctorum Patrum, clerici versari debent, vt decora sit eorum oratio.

Cap. XL I.

ITA QVE clericis legendus est studiosè & diligenter. Adhibitis commentarijs doctorum hominum & bonis magi-